

DEO OPTIMO MAXIMO.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis primâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXIV.

M. ANTONIO GARNIER, Doctore Medico, Præside.

An Febri Malignæ Vesicantia? *

I.



FEBRIS Maligna adeò teter morbus est ut nisi sedula medentis adhibeatur cura, de eo ferè sit conclamatum, quem semel aggressa est. Eò sævioribus incedit symptomatis, quo blandiùs insidiosa falsâ benignitate ægrum decipit, securos mendax fallit assidentes, fictâque larvâ, non rarò Medicum ludit incautum & offusâ caligine, dira mox futurâ vetat prospicere. Modò tacitè serpit, & velut ignis doloso suppositus cineri, miti extùs calore lenis, cœco intùs æstu flagrans se se malignè dissimulat: modò omnes induit formas omnibus illusura modis. Nunc sub Pleuritidis personâ graditur, dolorem punctorium offert medendum, tussim ferinam debellandam, sanguinis screatum sistendum, dum ipsa veluti densis se se obvolvit tenebris, nunc colicum dolorem, jecoris aut ventriculi inflammationem tam eruditè mentitur, ut propius nihil fiat quam ut oculatos & in arte recoctos decipiat, hisque

* *M. Bergier, Theseos Auctor, anno* 1741.

tantum morbis laborare arbitrentur. Quandoque tertianam intermittentem, sæpius continuam aut febrem utriusque participem præ se fert, alternisque diebus recrudescens rigor, exacerbationes vehementiores prænuntiat. Sic inceduut hujus anni febres malignæ, in quo cum singultu, septimo, nono, vel undecimo die, animam exhalant ægrotantes. Plurimos diuturnâ emaciatos, functionum læsione aggreditur, non paucos ad athletarum habitum progressos formidolosa repentè obruit incautos. Multis ante invasionem diebus membra ingravescunt, somnus laborem facit, non levat lassitudinem, torpet corpus spontaneis defatigationibus, gravativus premit caput dolor, calor adeò levis ut vix se febricitare æger sentiat, urina bona, pulsus bonus, nisi quod hic paulò exilior & crebrior, illa crudior, mentis adest stupor, sensus hebetes, ingens denique fit corporis pondus. Sed brevi ea symptomata vires acquirunt eundo, pulsus intentior fit & citatior, urinæ plerumque rariores, lutulentæ instar jumentorum, ignis edax deurit corpus, jam subsultibus concutitur, motuque convulsivo tendones aguntur, vox tremula, sæpè ferox, delirium, mensque unà cum corpore prægravatur, de sua sede dejecta, oberrat, omnia susdeque miscentur, quid plura, nulla functio intacta remanet. His omnibus frustrà mederi aggrederis symptomatibus, nisi ipsum morbum, in latibulis ubi figere sedem adeò amavit, jugules, necemque certam illaturus es, nisi remedium cerebri inflammationi solvendæ idoneum admoveris.

I I.

QUAMVIS febris Maligna nihil contineat veneni quod in præcordiis desæviat, ipsaque miserabiliter dilaniet, si tamen ægro assidentibus malignam afflaret auram, ipsâ esset peste multò pestilentior. Quantò cæteris partibus præstantius caput, tantò periculosiùs impetitur. Sui etiam cerebro morbi & licet velut æneo circumquâque obsepiatur muro, non semper undique latet tutum, & sicut ossibus, carnibus, tendinibus, membranis, nervis, non iidem morbi, non eadem remedia, ita nec cerebro ab iis partibus planè diverso. His omnibus nomine communis morbus inflammatio, grave quidem malum, sed multò gravius in cerebro, omnes enim ludit tristes tragœdias, quibus nulla potest esse tristior. Virium repentina prostratio, capitis gravitas, sæpe etiam dolor, delirium, sopor gravis, altior somnus, somnia tumultuosa, mentis stupor, sensuum hebetudo, ingens corporis pondus, totidem sunt argumenta non dubia, lædi in hoc morbo substantiam cerebri. Non minùs illud idem evincunt graviora quæ subsequuntur symptomata. Carotidum vibrationes pulsibus aliarum arteriarum vehementiores, tendonum totius corporis, brachiorum præsertim, rigor & subsultus, vox tremula, ferox, proterva, delirium, inordinatum omninò spirituum in nervos influxum demonstrant. Sitis sæpe nulla cum intensâ febre, inconditi sermones adeò ut pugnantia secum, nec cohærentia loquatur æger, nec ad se redeat nisi admonitus, mentis cum corpore laborantis manifestæ sunt notæ. Tumor faciei, surditas, oculi nunc flammei, nunc erratici, injussæ lacrimæ, cerebrum malè affici evidenti sunt argumento. Ubi in cerebri meningibus fixit sedem inflammatio, vividior est febris, acrior calor, strictior pulsus, capitis dolor pungens, rigidiores tendones, frequentiores subsultus, insania tumultuosior, cùm meninges sint sensus exquisitioris, contractionis & *elaterii* magis compotes quàm ipsum cerebrum. Ipse ego Remis in Nosocomio majori, propriâ manu, quatuor apertis febre Malignâ extinctorum cadaveribus, coram erudito cœtu, ipsis oculis videndam exhibui in uno piam meningem tenaciùs cerebro inhærentem & ejus vasa varicum instar sanguine turgida & distenta; in tribus aliis, partem cerebri pure exesam & ventriculos sero turgidos: cum his mitius egerat febris nec sæva adeò ediderat symptomata, in illo multò sæviora fuerant.

I I I.

NON horridior hic morbus quàm sanatu difficilior. Non sine duro labore resolvitur irretitus humor in partibus mollibus, & tamen nisi dissolvatur certa mors est, non enim eadem sors cerebri cum aliis partibus, in his etsi non dissipetur noxius humor, non idcò semper miserabiliter perit ægrotus, in illo non item. Spontè

velut sua aliquando nascitur & viget hic in cerebro morbus, sœpius ad vitiatum in primis viis humorem, originem suam refert. Bilis exæstuans ipsâ totâ sequanâ non compescibilis tragœdiæ sœpè ludit præludia, sæpiùs etiam vitriolicæ partes in primis viis contentæ. Hæ nausæis quas excitant se se indigitant, acrimoniâ suâ lympham inspissant & coagulant, & cum omnium tenuissima esse debeat quæ cerebrum & substantiam medullarem subire destinata est, si paululùm justo crassior sit, ferè fit ut quos sibi carceres selegit, ex iis se se expedire nequeat. Glandulas coarctat, medullares anfractus plùs æquo comprimit, exilissimos nervorum tubulos hâc parte constringit, illâc apertos finit, hinc motus citatiores, vehementiores, anomali; illinc pigra & imperfecta excernendorum elaboratio, secretio: ex utroque malo partium consensus turbatur, languent reciproci motus, impedita omnino est natura & opem flagitat, non jugis spirituum influxus, sed interruptus, non lenis, sed impetuosus irruit vitalis latex, indè deliria, contractiones musculorum irregulares, coma, & cætera omnia dira quæ febrem Malignam consequuntur symptomata. Ac veluti cum venti vinclis & carcere soluti, qua datâ porta ruunt cœlum & terram perflant turbine, ita nulli imperio dociles furiunt spiritus nervei. Quânam arte tantum possis æstum reprimere? An venæ sectione? An purgatione? Illa, fateor, luxuriantem circumcidit sanguinis molem, æstuantem compescit, è suo cursu deflectentem revocat, sed quamvis palmare sit remedium in aliis inflammationibus curandis, dùm copiam sanguinis imminuit, cordis impetum frangit, detrahit de copiâ spirituum animalium, non febrem Malignam curat, sed curationem tantùm parat: hæc fomitem, seu materiam morbi minuit & ducit ad prosperos exitus, sed stagnantem lympham non aggreditur, impactam non resolvit. Ut igitur sanguinis missio de mole ejus majori detrahit, & purgatio nocentes humores eliminat, ita vesicantia apta nata sunt lymphæ circulum ad leges proprias revocare, ipsaque non adhiberi in febre Maligna, piaculum est.

I V.

VIRTUS & efficacia remediorum externè appositorum, etiam ad morbos interiores sanandos, mirum quantùm luceat in profligandâ lue venereâ. An minor eorum in aliis morbis potentia? Ut quid igitur sepulta oblivione jacent. Lympha omnium ferè bonorum corporis parens, non tantum mutatâ suâ legitimâ indole, sed etiam mole auctâ plurimorum ferax est morborum. Luxurians nimium circumcidenda, stagnans subducenda, spissior attenuanda. His malis non potentiùs medeberis quam vesicantibus. Dubitas? Adi experimentum. Immitte pulverem cantharidum in serum sanguinis: liquidius illud fiet, tenuius & coagulationis impatiens. Aliundè ipsis oculis patet serum quod exstillat ex locis ubi apposita sunt vesicantia liquidius factum fuisse. Missione sanguinis totam ejus molem imminui, circuitum ejus liberiorem reddi, impactum hunc liquorem resolvi certum est. Suus etiam lymphæ circuitus, suas patitur leges proprias, & in motu suo turbari si quis ejus canalis aut compressus aut obductus sit, non minùs constat. Quælibet vesicantium particulæ similes lanceolis venulas sero turgidas aperiunt eructandoque latici aditum patefaciunt. Stimuli etiam vices adimplent & suis partibus acribus fibras carneas irritant, undè expressio major liquidioris materiæ per patentia oscula. Villi validius contrahuntur, breviores redduntur, tensi fiunt, tremor ergò vividior & appulsus fluidorum ad contactum fibræ abundantior. Per vim stimuli liquidum nervosum in crebriores agitur undas, & per motum derivationis appellet ad nervos omnium musculorum ubi vesicantia suam vim exerunt. Fiet itaque derivatio liquoris in eam partem, & revulsio à parte læsâ & infartâ. Quamvis sic fiat lymphæ expressio major, subeunt tamen quædam vesicantium particulæ totum corpus, ipsumque pervadunt. Notus est effectus quem excitant in renes & vesicam. Attenuabunt igitur lympham, liquidiorem, tenuiorem reddent, ubicumque locorum sit impacta, sicque aptam eam reddent parere circulationis suæ legibus. Quid ergò præstantiùs quam remedium quod aut humorem noxium avocat à sede quam infestat, aut fluidiorem reddit, ut restituta circulatione neque jam noceat, neque amplius nocere possit. An igitur piaculum non est aut propter temerè conceptam opinionem, aut

propter hypothesim falsam negligere, vel scurriliter apud vulgus egregium adeò lacessere remedium. Quod ratio stabilit, illud idem firmat observatio. Non pauci jam jam morituri hocce medicamento ad vivos revocati sunt, & quorum desperata salus, brevi sospites & incolumes facti sunt appositis vesicantibus.

V.

NEC te terreant tristia quæ ab inductâ cantharidum tincturâ in jugularem canis venam contingunt symptomata, statim vomit, humi semi mortuus cadit, magna premitur anxietate sitis adest inexhausta, pauló post gravissimo corripitur dolore, ululatibusque Cœlum implens moritur. Quàm dissident ea omnia ab iis quæ contingunt vesicantibus externè appositis. Non enim per vasa maxima catervatim ad cor appellunt, sed ipso sero quod noxium eliminant; temperantur & mitiora fiunt, non denegatur crudeliter potus ut factum est in exemplo canis, sed quò magis expetitur, eò liberaliùs conceditur. Cerebrum statim lacessitum est, sed quód erat sanum, non verò hostibus fœtum. Nec mirum vesicantia nocere sanis quemadmodum & alia remedia. Denique omnia viscera canis sana deprehensa sunt, & sanguis è venis eductus nequaquàm coagulatus. Non igitur pravos ediderunt effectus sed potiùs bonos, etiamsi nimia dosi, & indebito modo fuerint adhibitæ cantharides. Neque etiam major mictus, inflammationem renum metuendam evincit, cùm eum possis nullo negotio, datis emulsionibus, brevi compescere. Quamvis parcior quantitas laticis fluere dicatur, quàm ut causam mali vesicantia avertere posse videantur; his tamen fidito: non pauca enim medicamenta vel parcissima data dosi, malum jugulant, quemadmadum vel ipsa minima miasmatum moles horrendas excitare valet procellas. At, inquies, educitur humor, è partibus ubi apposita sunt illa topica, à poris cutis, à glandulis cutaneis, non ergò à cerebro, ubi sedem fingis morbi. Idem fit quod in missione sanguinis, quæ celebrata in malleolo sanguinem è capite educit. Conducunt etiam vesicantia ubi sanguinis *extravasatio* facta est in ipsâ cerebri substantiâ, nulla enim alia ratione possis hunc indè extricare quam globulos rubros largâ potatione eluendo, ne verò remaneat in cerebro liquidum nocens, adhibe vesicantia vel ægrotantem finito perire, cum illud nullâ melius arte possis eliminare.

Ergò Febri Malignæ Vesicantia?

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Dorigny.

M. Ludovicus Joannes Baptista Cosnier.

M. Hugo Capet, Bibliothecæ Facultatis Præfectus.

M. Petrus Augustus Adet.

M. Jacobus Barbeu du Bourg, Regiæ Scientiarum Academiæ Stokolmiensis, & Societatis Regiæ Monspeliensis Socius.

M. Joannes Jacobus Messence.

M. Joannes Claudius Munier, Consiliarius Medicus Regis ordinarius & domûs Regiæ Invalidorum.

M. Ludovicus Renatus Marteau, Regiæ Societatis Lugdunensis Socius.

M. Josephus Lallemant, Eques, è Salubri Stanislaï I. Poloniarum Regis Consilio, nec non Collegii Regii Medicorum Nanceïanorum Socius honorarius.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS PORTIER, Lavallæus Cenomanensis, Doctor Facultatis Andegavensis necnon saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facult. Medic. Typographi, 1764.